

ARNOLDI VINNII, J. C.
IN LIBRUM PRIMUM
INSTITUTIONUM
IMPERIALIUM
COMMENTARIUS

Academicus & Forensis.
CUM NOTIS AD TEXTUM.

PRO O E M I V M.

D E

Confirmatione Institutionum.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.

IMPERATOR, CAESAR FLAVIUS JUSTINIANUS, ALEMATICUS, GOTTHICUS, FRANCICUS, GERMANICUS, ANTIQUS, ALANICUS, VANDALICUS, AFRICANUS, PIUS, FELIX, INCLYTUS, VICTOR AC TRIUMPHATOR, SEMPER AUGUSTUS, CUPIDAE LEGUM JUVENTUTI S.

IMPERATOR.] Hoc nomine etsi appellantur omnes exercitus ductores *οι εραται ητοιμασμενοι πολεμωι ηγεμενοι*, proprie tamen id tribui solebat iis, qui re bene gesta hoc honoris titulo acclamatione militum vel decreto Senatus decorati essent. Post occupatam Rempublicam perpetuum

Principis praenomen esse cepit ex SC. Hotomannus ex Cic. Tacit. Sueton. Dion. Appian.

CAESAR.] Cognomen familiae in gente Julia, quod post C. Julium factum est hereditarium Imperatoris. Procedente tempore eodem nomine appellati & qui vivo Imperatore designati augustae majestatis haeredes l. 7. C. de malef. & mathem. Spartian. in *Elio Vero*. ubi & hunc ipsum primum Caesarem ea ratione appellatum testatur. Hodie *Reges Romanorum* vocantur.

FLAVIUS.] A Vespasiano Imperatore hoc nomen manavit, quem e Flavia gente nova & ignobili fluxisse Suetonius auctor est.

JUSTINIANUS.] Nomen hoc Imperatoris nostri proprium fuit; idq; etiam habuit ante adoptionem: ex quo apparet, non esse productum a nomine Justiniani avunculi & patris adoptivi, ut quidam putant.

ALEMATICUS, GOTTHICUS, &c.] Agnomina a devictis, aut bello laceffitis gentibus ducta. Seneca 1. de *Clement.* scribit, assentantem populum ambitiosa maje-